

gnitionem adipisci. Primos vero natales debet Ferdinando I. qui id communi Statuum consensu anno 1555. introduxit vid. *Ordin. Cam. eod. ann. p. 3. tit. 52.* Deinde per *Recessus* posteriores et quidem *de ann. 1557. §. 23. Recess. de anno 1559. §. 60. Rec. de ann. 1594. §. 99. Recess. ann. 1598. §. 62. Deputations-Abschied zu Speier de ann. 1600.* et nouissime per *Recessum de anno. 1654. §. 124. et seq. et Keyserl. Wahl Capitulation de anno 1658. §. 42.* Auch sollen und wollen wir keines weges dargegen seyn: confirmatum et quoad Formam ac Processum in multis partim autum, partim circumscriptum.

§. III.

Causa Efficiens huius remedii duplex esse videtur: Remota et Propinqua: *Remotam* constituit aequitas, dictitante scilicet communi ratione, vt iniquitate aut errore iudicum oppressis contra ea quae summo iure valent, remedio aliquo extraordinario succurratur: Addam quod et aliquam defensionis speciem sapere hoc remedium videatur, surrogatum scilicet in locum appellationis, quae ab ipsa naturali ratione profecta videtur *c. 61. §. porro. X. de appell. iunct. l. 3. ff. de I. et I.* Surrogatum autem naturam eius cui surrogatur, induere censetur, ita vt sublato a iudicio Camerali beneficio appellatorio, reuiforium tanquam subsidiarium omnino relinquendum fuerit.

§. IV.

Causa Efficiens *propinqua* est Imperator et Status Imperii, quibus ratione modi et formae introductae hoc remedium recte ascribendum putauerim. Quanquam vero olim Imperator solus legem ferendi absolutam potestatem habebat, vt patet ex *l. 1. C. de LL. et Const. Prr. et Edict.* hodie tamen Imperatores aurea Bulla et Capitulationibus adeo adstricti sunt, vt leges vniuersales non nisi in Comitibus cum consilio Procerum seu Imperii Statuum condere possint *Arum. ad A. B. disc. 7. OTT. de I. P. p. 231.* Nam Status Imperii non priuatiue quemadmodum olim populus Romanus per L. Regiam in Principes imperium transtulisse perhibetur, sed communicatiue potestatem leges vniuersales ferendi Imperatori concesserunt, ita vt Eius potestas cum Statibus in condendis legibus cumulatiua sit et sine Statuum communi sponfione parum possit. Hinc Imp. Carol. V. *Recess.*